

DE CRITERIO REVELATIONIS DIVINAE¹

IN Concilio Vaticano Secundo quaestio mota est circa fontes Divinae Revelationis, nempe utrum unus an duo sunt fontes Divinae Revelationis? Absque dubio in IV Sessione Concilii Tridentini de fide fuit definitum; "Sacrosancta oecumenica et generalis Tridentina Synodus, in Spiritu Sancto legitime congregata, praesidentibus in ea eisdem tribus Apostolicae Sedis Legatis, hoc sibi perpetuo ante oculos proponens, ut, sublatis erroribus, puritas ipsa Evangelii in Ecclesia conservetur; quod promissum *ante per Prophetas in Scripturis sanctis* (Rom. I, 3; Hebr. I, 1-2), Dominus Noster Iesus Christus, Dei Filius, proprio ore primum promulgavit, deinde per Apostolos, tamquam fontem omnis et salutaris veritatis et morum disciplinae, omni creaturae praedicari iussit (Mt. XXVIII, 19; Mc. XVI, 15); perspiciensque hanc veritatem et disciplinam contineri in libris scriptis et sine scripto traditionibus, quae ab ipsius Christi ore ab Apostolis acceptae, aut ab ipsis Apostolis Spiritu Sancto dictante, quasi per manus traditae, ad nos usque pervenerunt: orthodoxorum Patrum exempla secuta, omnes libros tam Veteris quam Novi Testamenti, cum utriusque unus Deus sit auctor, necnon traditiones ipsas, tum ad fidem, tum ad mores pertinentes, tamquam vel oretenus a Christo, vel a Spiritu Sancto dictatas, et continua successione in Ecclesia catholica conservatas, pari pietatis affectu ac reverentia suscipit et veneratur".²

Ex famoso hoc textu sequi videtur duplicem esse Divinae Revelationis fontem, nempe Libros Sacros Utriusque Testamenti et Divinas Traditiones sive ad fidem sive ad mores pertinentes, quia et ipsae vel oretenus a Christo, vel a Spiritu Sancto per Apostolos dictatae, continua successione in Ecclesia Catholica fuerunt conservatae. Ita communiter intellexerunt theologi, qui post Concilium Tridentinum de hac re egerunt. Et recte quidem; nam Concilium Tridentinum contra Protes-

¹Haec *Communicatio* lecta fuit in *Secundo Symposio Internationali Theologiae Dogmaticae Fundamentalis*, habito in "Villa Cagnola", in Gazzada (Varese-Milano), sub Praesidentia Excellentissimi Domini Caroli Colombo, Professoris in Maiori Seminario, Venegoni Inferioris (Varese, Italia), diebus 6-11, m. Septembris, 1964.

²CONCILIUM TRIDENTINUM, Sess. IV (8 Aprilis 1546): *Decretum de canonicis Scripturis* (DENZINGER, n. 783).

tantes agebat, quorum doctrina fuit, solam Sacram Scripturam esse unicum Divinae Revelationis fontem.

Aliunde cum Libri Sacri et Divinae Traditiones nobis a *solis* Apostolis, Spiritu Sancto dictante, et continua successione in Ecclesia Catholica conservatae sunt, dici etiam potest divinae Revelationis fontem esse unum, nempe *munus apostolicum*: cum enim Apostolis visum est aliquid esse scribendum Libros Sacros condiderunt; cum vero secundum mandatum Christi, Spiritu Sancto dictante, locuti sunt, divinas traditiones condiderunt, quae continua successione in Ecclesia Catholica conservatae sunt. Unde, ni fallimur, dici etiam potest unum esse Divinae Revelationis fontem, nempe munus apostolicum, quod, si non *de iure*, ut nos firmiter credimus, saltem de facto, charisma inspirationis divinae in se includebat. Nam, ut emphatice affirmat S. Thomas, in suo *Commentario in Epistulam ad Galatas*, c. II, Lect. I: "Omnes actus apostolorum et motus fuerunt secundum instinctum Spiritus Sancti". Et in *Summa Theologiae*, I, qu. I, art. 2 ad 2m: "Singularia traduntur in sacra doctrina ... ad declarandam auctoritatem virorum, per quos ad nos revelatio divina processit, super quam fundatur Scriptura seu sacra doctrina". Et tandem magis explicite in art. 8 ad 2m: "Argumentari ex auctoritate est maxime proprium huius doctrinae, eo quod principia huius doctrinae per revelationem habentur et sic oportet quod credatur auctoritati eorum, quibus revelatio facta est ... Auctoritatibus autem canonicae Scripturae utitur proprie et ex necessitate arguendo, auctoritatibus autem aliorum doctorum Ecclesiae quasi argumentando ex propriis, sed probabiliter. *Innititur enim fides nostra revelationi Apostolis et Prophetis factae, qui canonicos libros scripserunt, non autem revelationi, si qua fuit aliis doctoribus facta*".

S. Thomas concludit istam responsionem per aliquem textum ex S. Augustino desumptum, qui pariter numquam non affirmat munus propheticum et apostolicum esse divinae revelationis fontem. En verba Augustini; "Non est, inquis, credibile hoc in Petro Paulum, quod ipse Paulus fecerat, arguisse. Non nunc inquiri, quid fecerit; quid scripserit, quaero: hoc, ad quaestionem quam suscepi, maxime pertinet; ut veritas divinarum Scripturarum ad nostram fidem aedificandam memoriae commendata non a quibuslibet, sed ab ipsis Apostolis, ac per hoc in canonicum auctoritatis culmen recepta ex omni parte verax atque indubitate persistat" (Ep. LXXXII ad Hier., c. 2, n. 7: PL. XXXIII, 278).

Unde haec nova quaestio de uno vel duplici divinae revelationis fonte potest forsitan reduci ad antiquiorem quaestionem nempe num

inspiratio divina *ad scribendum* sit distincta ab inspiratione divina *ad loquendum*. Nam si aliquis tenet charisma divinum inspirationis *ad scribendum* esse realiter distinctum a charismate *ad loquendum*, tunc videtur esse affirmandum duplicem esse divinae revelationis fontem; si, e contra, utrumque est unum idemque charisma, tunc divinae revelationis fons est unus et unicus, nempe munus propheticum et munus apostolicum, quidquid enim Prophetarum et Apostolorum, ut tales, dixerunt vel scripserunt est eodem modo divinum: Libri Sacri et Divinae Traditiones non differunt inter se nisi tamquam duo modi diversi transmissionis eiusdem veritatis, quae unam et unicam habent originem, nempe Deum inspirantem, qui nobis per Prophetas et per Apostolos locutus est.

At non omnes theologi in hoc conveniunt. Plures enim sunt qui inspirationem *ad scribendum* realiter distinguunt ab inspiratione *ad loquendum*. His ultimis annis de hac re fuse egit pia memoriae P. Perrella, in suo opere *De apostolico et prophetico munere ut inspirationis et canonicitatis criterio altero pro N, altero pro V.T.*, edito in Divus Thomas (Plac.), 1932.³

Licet sit notare P. Perrella hoc studium scripsisse contra articulum, quem ipse scripsit in eodem periodico, anno praecedenti, cuius titulus: *De criterio Inspirationis et Canonicitatis SS. Librorum*.⁴

Sane hodie non intendo hanc tractare quaestionem, sed tantum disserere de distinctione necne inter inspirationem *ad scribendum* et inspirationem *ad loquendum*.

In citato articulo P. Perrella affirmat inspirationem *ad scribendum* realiter differre ab inspiratione *ad loquendum*, eo quod utraque inspiratio effectus penitus diversos prae se ferat. Ille quippe qui fruitur charismate *ad loquendum* recipit veritates revelatas illasque communicat aliis absque ullo errore sub adsistentia Spiritus Sancti, sicut Romanus Pontifex ex cathedra loquens annuntiat veritatem in deposito fidei contentam et ab universali Ecclesia credendam. E contra, auctor inspiratus *ad scribendum* recipit motionem efficacem in suam voluntatem ad scribendum id quod Deus vult; illuminationem in suam intelligentiam, ut concipiat exacte ea quae scribere debet et ut de illis divinitus iudicet; tandem adsistentiam divinam in facultates executivas, dum scribit, ut

³ G.M. PERRELLA, C.M., *De apostolico et prophetico munere ut inspirationis et canonicitatis criterio altero pro N, altero pro V.T.*, in *Divus Thomas*, Placentiae, XXXV (1932), pp. 49-61; 145-176.

⁴ S.M. ZARB, O.P., *De criterio inspirationis et canonicitatis SS. Librorum*, in *Divus Thomas*, Placentiae, XXXIV (1931), pp. 147-186.

illas veritates convenienter exprimat.⁵

In publica lectione habita Romae in Pontificio Instituto Biblico atque edita in *Divus Thomas* Placentiae, anno 1933, idem P. Perrella videtur aliam admittere differentiam, quia affirmat personam inspiratam *ad scribendum* non necessario esse sibi consciam de sua divina inspiratione, dum tum prophetae cum apostoli conscii fuerunt de ipsorum munere prophetico et apostolico.⁶

Contra P. Perrella duos scripsimus articulos, unum in *Angelicum; Num hagiographi sibi conscii fuerint charismatis divinae inspirationis*,⁷ alterum in *Revue Thomiste, Saint Thomas et l'Inspiration Biblique*.⁸

In his scriptis differentias inter inspirationem *ad scribendum* et inspirationem *ad loquendum* omnino reiecimus. Licitum sit hic breviter resumere quae pleniore calamo scripsimus in allatis studiis.

In primo loco refellere debemus distinctionem realem inter inspirationem *ad scribendum* et inspirationem *ad loquendum*. "Parler et écrire, scipsimus in *Revue Thomiste*, sont deux façons de s'exprimer, qui diffèrent seulement entre elles *in ratione signi*. L'homme qui écrit n'a pas moins besoin de son intelligence et de sa volonté que celui qui parle seulement; et par conséquent l'homme, qui parle ou écrit au nom de Dieu, est également instrument, et reçoit, dans l'un et l'autre cas, une motion identique. Cela semble tellement clair qu'il ne paraît pas nécessaire d'insister davantage. Dès que l'on admet que la distinction entre les deux charismes se réduit à une distinction d'ordre matériel, toutes les différences que l'on a imaginées entre ces deux manières de recevoir et de transmettre l'inspiration divine deviennent sans objet".⁹

Quantum ad conscientiam hominis inspirati, omnino credimus illos, qui a Deo electi sunt, ut ipsius essent instrumenta revelationis, conscios omnino fuisse de ipso charismate inspirationis a se ipsis recepto. Nam si ipsi nescierunt se esse inspiratos, quomodo nos possumus hoc scire? Si per alium, hunc oportet esse inspiratum; et si inspiratus non est necesse ut sibi ipsi sit conscius de sua inspiratione, itur in infinitum, quod sane est omnino absurdum. Sane Deus uti potest homine, ut voluntatem suam adimpleat, quin homo sit de hoc conscius, ut Caiphias,

⁵ Cf. PERRELLA, *op. cit.*, pp. 53-55.

⁶ G.M. PERRELLA, C.M., *Ispirazione profetica e ispirazione scritturale*, in *Divus Thomas*, Placentiae, XXXVI (1933), pp. 121-143.

⁷ S.M. ZARB, O.P., *Num Hagiographi sibi conscii fuerint charismatis divinae inspirationis*, in *Angelicum*, XI (1934), pp. 228-244.

⁸ R.P. SERAPHIN-M. ZARB, O.P., *Saint Thomas et l'inspiration biblique*, in *Revue Thomist*, N.S.T. XIX, n. 95 (1936), pp. 367-381.

⁹ *Revue Thomiste, l.c.*, p. 374.

dicens oportere unum, nempe Christum, mori pro populo, ne totus populus pereat: at Caiphas non fuit receptor charismatis inspirationis, sed ut dicit S. Thomas, fuit motus *instinctu aliquo divino*, qui certocertius est aliquid infra charisma divinae inspirationis collatae Prophetis atque Apostolis, ut ipsi constituentur organa divinae revelationis. Concludimus ergo inspirationem *ad scribendum* atque inspirationem *ad loquendum* esse unum idemque charisma atque inter se non differre nisi materialiter, ut enim vivida utamur metaphora, dicere audemus scribere est loqui manibus, atque loqui est scribere lingua.

Negata igitur distinctione inter inspirationem *ad scribendum* et inspirationem *ad loquendum*, facile est dicere unum esse divinae revelationis fontem, Deum scilicet seu veritatem primam in dicendo, Deus revelans. Haec revelatio tamen nobis non immediate communicatur, sed per Prophetas et per Apostolos, qui, si divinum oraculum *oretenus* tantum communicant, sunt organum divinae traditionis: si vero *scripto* Sacros conduunt Libros.

Est tamen differentia inter *modum transmissionis* Librorum Sacrorum et *modum transmissionis* divinarum traditionum. Nam scripta manent, sed verba volant; hinc traditiones committuntur Ecclesiae conservandae. Unde, cum quidquid recipitur, ad modum recipientis recipitur, divinae traditiones restringuntur ad obiectum infallibilitatis Ecclesiae, et sic eatenus recipiuntur, quatenus tractant de rebus fidei et morum: dum Sacra Scriptura, cum sit ipsissimum Dei verbum, nullam subit restrictionem. Alia etiam habetur differentia quoad Prophetas et Apostolos; nam, cum in Vetere Testamento nulla fuerat institutio, quae infallibilitate divina fruebatur, sicut in Novo Testamento habetur Ecclesia, hinc fit quod oracula a Prophetis *oretenus* tantum communicata, non fuerunt conservata; dum oracula *oretenus* ab Apostolis communicata, conservata fuerunt in Ecclesia. Propterea in definitione Concilii Tridentini supra allata fit tantum mentio de divinis traditionibus, "quae ab ipsius Christi ore ab Apostolis acceptae, aut ab ipsis Apostolis Spiritu Sancto dictante, quasi per manus traditae, ad nos usque pervenerunt." Nulla omnino fit mentio de divinis traditionibus pro Vetere Testamento, quae certo nullae sunt, quia propter carentiam organi infallibilis transmissionis omnes periere.

Sic, ni fallimur, solvitur quaestio de fontibus revelationis divinae, num nempe unus sit an duo fontes: fons est unus, veritas prima in dicendo, Deus revelans, quae tamen veritas nobis manifestatur per Prophetas et per Apostolos, qui duplici medio usi sunt, nempe loquela et

scriptura, haec Libros Sacros, illa divinas traditiones condit.

In tota ista disputatione mens nostra erat, indirecte saltem, affirmare criterium Divinae Revelationis, esse munus propheticum pro Vetere Testamento, pro Novo vero Testamento munus apostolicum. Sicut Propheta est Dei interpres, ita Apostolus est Christi legatus. Quidquid Prophetarum et Apostolorum, quae tales, dixerunt aut scripserunt, recipiendum est tamquam dictum aut scriptum a Deo. In hoc resolvitur tota quaestio de inspiratione biblica et de origine divina traditionum divinarum.

Licitum sit, antequam sermoni nostro finem faciamus, pauca dicere circa relationem huius nostrae dissertationis ad Theologiam Fundamentalem.

Neminem latet expositam doctrinam faciliter explicare originem divinam tum Sacrorum Librorum tum Divinarum Traditionum, ac proinde criterium Divinae Revelationis esse munus Propheticum pro Vetere Testamento et munus Apostolicum pro Novo Testamento. Sicut Propheta est Dei interpres, ita Apostolus est Christi Legatus: unde quidquid Prophetarum et Apostolorum dixerunt aut scripserunt, accipiendum est tamquam a Deo dictum aut scriptum.

Ex hoc fundamentali conceptu, facile est explicare naturam Inspirationis Biblicae sicut etiam originem et naturam Divinarum Traditionum. Hoc autem praestito, facile est explicare naturam Divinae Revelationis, eius possibilitatem, convenientiam, necessitatem, supposita nempe hominis elevatione ad ordinem supernaturalem, unde etiam explicationem ordinis naturalis et ordinis supernaturalis, mysterii et dogmatis, ac tandem existentiam et cognoscibilitatem divinae revelationis, per motiva credibilitatis, sive externa, ut miracula et prophetias, sive interna: et quidem interna-extrinseca, ut Ecclesiam, sublimitatem doctrinae Christianae atque puritatem ipsius moralis, per sanctitatem et caritatem; sive interna-intrinseca, ut satisfactionem omnium desideriorum hominis, quietem mentis et pacem cordis, necnon consolationem spiritualem, quae ex certitudine verae religionis et statu gratiae in animo resultat.

Probata autem existentia Divinae Revelationis seu Verae Religionis, logicus transitus postulat ut de fontibus, ubi talis Divina Revelatio invenitur, disseratur, et primo quidem de locis theologis in communi, deinde vero in speciali, scilicet de fidei regula proxima, seu de Ecclesia, de ipsius natura, constitutione, fine, membris, de ipsius proprietatibus seu dotibus et de ipsius cognoscibilitate seu de notis, et tandem de ipsius indefectibilitate tum in existendo tum in docendo seu

de magisterio Ecclesiae, deque ipsius infallibilitate eiusque obiecto. Deinde vero de regula fidei remota, nempe de S. Scriptura et de Divinis Traditionibus. Tractatus de Traditione Divina hucusque non videtur esse bene expositus. Sed, ni fallimur, in lumine eorum quae supra disputata sunt, talis tractatus novam debet habere structuram non absimilem ac illam qua traditur doctrina de Biblica Inspiratione. Tandem de organo conservationis, interpretationis et propositionis divinae Revelationis seu de Romano Pontifice, de Conciliis, de Patribus et Doctoribus Ecclesiae, de Theologis et de aliis scientiis naturalibus, praesertim de historia et de philosophia, quatenus doctrinas revelatas illustrare valeant.

Sic, ni fallimur, habetur tractatus completus Theologiae Fundamentaliss, qui, etsi iam in se ipso est verus et completus tractatus de fidei fundamentis, debet tamen simul inservire tamquam introductio seu tractatus praepedeuticus ad Theologiam Dogmaticam.

S.M. ZARB.